Bibliothèque numérique

medic@

Landrieu, François - candidat / Langlois, Michel - président. - An convulsioni evacuatio ?

1652.
Paris
Cote : ms 77 n°1010

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x06x1010

DEO OPT. MAX. VIRGINIQVE DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXV IANVARII.

M. MICHAELE LANGLOIS, Doctore Medico, Moderatore.

An conuulſioni euacuatio? 1010

HORRENDVM Symptoma conuulſio propter ſæuitiam, inſolens malum & adeo acutum, vt ſummo cruciatu breui ſæpè ægrotantes interimat, nulli ſexui, nulli ætati parcens. Definitur muſculorum verſus ſuam originem præter voluntatem contractio; hac membrum in quod muſculi tendo inſeritur, ſimul contrahitur, & à naturali figura deſciſcit cum dolore qui modo leniùs, modo atrociùs inſultat & vires proſternit. Motus eſt facultatis expultricè quæ à re præter naturam acriùs ſtimulata facultatem animalem in conſenſum trahit, quò noxia materia vehementiùs concuſſa faciliùs reſoluatur vel egeratur: hæc interdum totum corpus infeſtat, & eius ſpecies ſunt ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος, & τέτανος: interdum tantùm partem aliquam, vt brachium, manum, crus, linguam, aut alteram; neruo ſcilicet aut muſculo affecto, qui iſtius partis motioni deſtinatus eſt. Caue ne quamlibet partis contractionem vel immobilitatem inuoluntariam ad conuulſionem referas, neque [illegible], præcipuè ſi ex infantiæ primordijs contractum ſit, vt & neque oris torturam.

CONVVLSIONIS, non morbi ſed ſymptomatis cauſa eſt, non ſimplex & nuda qualitas, ſed materia vellicans partes præter naturam, vt bilis ignea, melancholia aduſta, ſerum mordax & ſerinum, aura quædam maligna, morſus feræ venenoſæ, punctura, vulnus alicuius partis neruoſæ, dolor vehemens, inſignis inflammatio alicuius partis, humor putridus inſigni corruptione comparata malignitate veneno haud abſimili. Se ſe nunquàm inſinuat ſimilis humor in cerebrum, quin ſtatim intruſus epilepticam conuulſionem accerſat, dum eius acrimonià percelluntur meninges, inſtar ſtomachi ſingultientis totum concutitur contrahitúrque, & τὰ [illegible] propter [illegible] mouet in ſubſidium, vnde ſpiritus animales proprias affatim deſerunt ſedes, cogúntque muſculos præter voluntatem moueri. Sic vnicum [illegible] cuiuſque conuulſionis cauſa. Conſtatne igitur hanc cùm non fiat in febre hectica & maraſmodi, neque in parte paralyſi affecta aut apoplexia, produci inanitione, aut repletione? Ne exiſtimes aliter ſpaſmum fieri ab ardente febre, hellebori potione, immoderata ſanguinis profuſione, vigilijs, inedijs & labore immodico, quam quia ab ijs acriore facto calore humores feroces & mordaces fiunt, qui neruoſas partes feriendo conuulſionem producunt.

CONVVLSIO grauis eſt affectus, difficilis & operoſa curatio. Magna eſt è natura egreſſio, & partium neruoſarum difficilis [illegible], & vt plurimùm [illegible], perniciem maiorem minatur quæ euacuantibus ſuccedit quàm replentibus, vt crapulæ, ebrietati, ſuppreſſæ cuidam vacuationi conſuetæ: quod grauiſſimi doloris [illegible] non ſinat partem emendare afflictam, & quod Natura defecta viribus ſemper in medio ſuccumbat itinere: aliàs ægro non priùs defatigato, cùm Natura pollet robore, materiæ morbificæ excretio ſponte vel arte poteſt procurari: nec eadem eſt ratio puerorum ac grandium, mulierum ac virorum: pueris magis familiaris quàm grandioribus & minùs periculoſa: mulieres [illegible] ope nonnumquam conuulſione liberantur, quæ in viris non niſi oborta febre quartana, non ſola eius vindice, ſæpe quieſcit. Poteſtne Medicus pro arbitrio aut an debeat ad conuulſionem curandam aliquando febrem, etiam acutam excitare?

PRO ratione tanti morbi quærere debet Medicus artes quibus ei opituletur. Nullus deſinit in corpore morbus donec humores qui eum fouent conſumpti, edomiti, aut euacuati fuerint, quod opus Naturæ liberè agentis eſt, vbi autem impeditur, adiuuanda. Conuulſio epileptica non miteſcit, niſi ſuffitu, errhinis, ptarmicis, apophlegmatiſmis, acrioribus enematis, frictionibus, venâ ſectâ, purgantibus, etiam mochlicis. Conuulſio ab elleboro, febre ardente, inedia, hæmorrhagia eſt vt plurimùm [illegible], nec à Medico curanda; hæc magis denotat humoris benigni defraudationem ac virium imminutionem, quàm humoris noxij abſentiam, qui deaſſatus, ferociens ac nullas agens ferias, ægrum exercendo, vires iam imbecillas proſternit & euacuationi non poteſt præbere locum, [illegible].

SOLA conuulſio quæ cauſis replentibus ſuccedit, cùm vires ægrotantis vegetæ conſtent, ſruge meliori à Medico ſuſcipitur curanda. Rigore ſuperueniente huius opportunam criſim aggreditur ſæpe Natura ([illegible]) cùm ichor bilioſus è vaſis ad partes acerrimi ſenſus deductus, Naturæ contentionem & motum procurat ad excluſionem parentis morbi humoris, hinc, illinc, ſudore, veſicâ, vel quod tutius, aluo fuſiore. Non tamen expectandus ſemper iſte Naturæ motus, caloris enim ſegnities hunc motum non aggreditur, & ſpaſmum ſæpe reddit immedicabilem: tunc opus Medici operâ & conſilio. Venam ſecat leuandæ partis conuulſæ gratiâ, necnon humoris vacuandi, reuellendi, deriuandi & doloris demulcendi, acriora enemata, topica dolorem lenientia, materiam digerentia & reſoluentia, vt ſunt olea, linimenta, vnguenta, fotus, ſacculi, & alia neruoſo generi amica, cucurbitulas cum ſcarificatione, & cathartica præſcribit; quæ omnia cutem rariorem, vaſa laxiora, humores [illegible] eorúmque reſolutionem efficiant; aluum denique ducant ad expurgandum ferocem humorem per locum magis conferentem; ſic ſi Medicus tempeſtiua conuenientium remediorum adminiſtratione ad curandam conuulſionem materiæ morbi euacuationem enitatur, [illegible] videbitur obſeruaſſe, quibus ſanitas reſtitui poteſt ægrotanti.

Ergo conuulſioni euacuatio.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS LANDRIEV, Lauduneus, A. R. S. H. M. DC. LII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Breget.
M. Martinus Akakia, Prof. Reg.
M. Leo le Tourneurs.

M. Nicolaus Cappon.
M. Nicolaus Richard.
M. Petrus le Mercier.

M. Vrbanus Bodineau, Med. Reg.
M. Philibertus Moriſſet.
M. Carolus Guillemeau.